78

Obiectiones Ecclesiasticorum aduersus Oeconomatum Regium. cum responso. D.

Ordini per leuar alcuni abusi dell'Economo di Milano.

PRimo, che l'Economo possa pigliare il possesso solamente de benefitij concistoriali, ouero de Iurep. del Rè Duca di Milano, per tenere cura de frutti, à benefitio del successore; mà non possa pretendere, ne riceuere perciò decime, ne appenditij d'essi, ma solo qualche honoranza, per l'offitio, & per la fatica delli Ministri, ad arbitrio delle parti, e questo oltre la spesa, che occorrerà farsi per raccogliere, e custodire i frutti sudetti.

Secondo non s'ingerisca nel pigliare il possesso de'Vescouati, che vacaranno, ne meno nell'essattioni de'frutti d'essi, ma ciò resti à carico delli capitoli di quelle Catedrali, che vacaranno, conforme alla dispositione del Concilio di Trento.

Terzo non faccia citare parti auanti à sè, ne eriga Tribunale per le contese, che nascono frà diuersi Prouisti, ne s'intrometta in volerle conoscere, ne perciò ritardi il placet.

Quarto non s'intrometta nell'essecutioni de'rescritti, di cōmissioni, Inhibitioni, Monitorij, Citationi, ò sentenze di Roma.

Quinto, non astringa i Prouisti à valersi del Notaro del Economato, per pigliare il possesso de'benefitij.

Sesto, non obleghi alcuno à presentarsi, & ottenere da suoi Subeconomi in altre Città, ò Terre il nuouo placet, hauendolo già hauuto da esso Economo, mà semplicemen-

re concorde il suo beneplacito, senza dirigerlo ad alcuno de'suoi Subeconomi.

Settimo, non possa l'Economo pigliare più d'vn ducatone per il placet, & il suo Cancelliere si pigli mezzo ducatone solamente.

Ottauo, vacando l'offitio dell'Economo nissuno di qual si voglia stato, & conditione, etiamdio per modum prouisionis nominato da qualsiuoglia Prencipe, ò Gouernatore ardisca esercitare l'offitio sudetto, se prima non hauerà la facoltà sofficientemente in scritto d'essercitarlo dalla Sede Apostolica, sotto pena della suspensione à Diuinis da incorrersi ipso facto.

Nono, l'Economo debba esibire, e far registrare nella Cancellaria Archiepiscopale di Milano le sue facoltà, dentro d'vn mese dalla data di esse.

Don Francisci Arguis Regij primum Fisci Aduocati, mox Senatoris in Statu Mediolani.

Responsum ad ea, quæ nouissimè excitata fuere, contra offitium Regium Oeconomatus eiusdem Status Mediol.

ANtequam singulis capitulis respondeatur, est in facto præsupponendum, quod Oeconomus in Statu Mediolanensi duas representat personas, vt sæpius alias dictum fuit, nempe Pontificiam, & Regiam, seu Ducalem, & quatenus Ducalem induit, gerit in hac parte vices S. M. itaut, quæ immediatè per M. Suam, in negotijs concernentibus interesse Oeconomatus, terminanda, & decernenda erant, mediatè per ipsum Oeconomum executioni mittuntur; Et quod hoc sit verum optimè comprobatur ex antiquis Ducalibus decretis, ex quibus cernitur Duces ipsos immediatè officium Oeconomatus exercuisse. Comprobatur etiam ex decreto Ludouici Francorum Regis tunc illum Statum occupantis, dato

dato sub die 24. Maij anni 1510. in quo legitur, quod porrectis precibus per Presbyterum Io. Baptistam de Butijs fuit per memoratum Regem concessa licentia apprehendendi possessionem cuiusdam patris beneficij dicto Butio cessi; Item ex alijs duobus decretis editis per Franciscum Sfortiam vltimum ex illa familia Mediolani Ducem, vno dato sub die decima Ianuarij anni 1531. & altero sub die 21. Ianuarij eiusdem anni, ex quibus comprobatur, quòd præcedentibus precibus porrectis prælibato Duci, vnis scilicet per Reuer. Federicum Panigarolam, alteris per Reuer. Petrum Paulum de Serenio, fuit eis per dictum Ducem præstitus assensus, quem Placet vocant, apprehendendi possessionem singulorum beneficiorum dictis supplicantibus collatorum; Comprobatur etiam ex beneplacitis adhibitis per Excellentiss. Gubernatores in defectum Oeconomorum, ob eorum mortem, donec fuit de alijs per ipsosmet Gubernatores, vel per S. M. prouisum; His adduntur diplomata, quibus adueniente casu Oeconomi creantur, nam Maiestat. Sua litteris patentibus Oeconomos decorat, diuersis ab illis, quæ nomine S. Sanctitatis conferuntur, itaut Oeconomus duo habet inter se diuersa diplomata, & priuilegia, vnum à Sanctiss. concessum, alterum à S. M. seu ab Excellentissimo Gubernatore traditum, vndè duplex officium in vna sola persona cernitur collatum. Quòd autem sequutum fuit tempore prælibati Francisci Secundi fuit sic desiderante Clemente Septimo, tunc Pontifice Maximo, vt legitur ex litteris patentibus datis Iacobo Picenardo Ducali Consiliario tunc Oeconomo creato, in illis verbis; *Cum ad eandem Prouinciam demandandam Sum. Pontif. Clemen. Septimi litteris persuasi fuerimus*; Ex qua inquam collatione, non est aliquo pacto dicendum huiuscemodi officia eorumq; iurisdictiones confusas remansisse; Nam Sum. Pontifex prouidet de Oeconomo, ne beneficia ad Sedem Apostolicam spectantia occupentur ab illis, qui per ipsum legitimè prouisi non fuerint; Duces autem, & S. M. ideo de

Oeconomo prouiderunt, & prouident, ne beneficia sine eorum placito conferantur in personas, quę erga eos bne animatæ non sint; ac pro subueniendis alijs de quibus in litteris patentibus, iuxtà auctoritatem, & facultatē Oeconomis tributam; Nec est nouum quod vna sola persona, duo exerceat offitia, pro quo est Bonus Text. in cap. cum inter vniuersas circa finem, & ibi glosa, in verbo Vice regia, & in casus figuratione in fine, versic. Item nota de elect. quod aliquis exerceat duplex officium, ex quibus optimè concluditur, quod contra officium Regium Oeconomatus, non possunt hæc noua introduci decreta, prætextu abusus tollendi, cum ea, quæ proponuntur potius tendant ad destructionem dicti officij, quam quod inter abusus possint connumerari; Hoc supposito accedimus ad responsionem singulorum capitulorum. Et quo ad primum.

Respondetur, nullam posse deduci rationabilem differentiam, quare non valeat Oeconomus, (Ecclesia vacante) ingredi possessionem bonorum, seu potius tenutam beneficiorum collatorum nedum à Sanctissimo, prout admittitur, verùm etiam ab ordinarijs distributorum; Nam Oeconomus ille dicitur, cui res Ecclesiæ gubernandæ demandantur, vt l. iubemus, in princip. C. de Sacrosanct. Eccles. & l. omnes qui §. hoc nihilominus, C. de Episcopis, & Cler. & cap. quia in quibusdam 89. distinct. & cap. cum nos, de offic. ordinarij, & per alios concordantes traditos à Speculatore lib. 1. tit. de his, qui Eccles. nom. in Iudic. interuenerunt §. 1. num. 5. vers. Oeconomus; Quare cum in Statu illo Mediolani nullo pacto sit hæsitandum circa substantiam, & existentiam ipsius officij Oeconomatus, maxime stante capitulo concordiæ concepto his verbis; *Circa officium Oeconomatus, tollantur abusus Oeconomi, prout de eis constiterit*; vtiq; nullo pacto potest constitui hæc differentia, cum aliàs esset destruere substantiam, & exercitium ipsius offitij, non verò tractare de tollendis abusibus, præcipuè stante inuetera-

ta

ta consuetudine, qua mediante Oeconomi illius Status solent indistinctè possessioné quorũcunq; beneficiorũ Ecclesia vacante ingredi, curamq; habere, ne bona distrahantur, ac fructus colligere, & conseruare in beneficiũ successoris. Quæ inquam consuetudo non habet aliquo pacto iuris repugnantiam, immò iuris dispositio assistit, pro quo est text. expressus, in cap. generali, vers. qui autem, in verbo antiqua consuetudine de electione in 6. & ibi glosa, dum dicit valere consuetudinem, quod quis habeat iuspatronatus custodiam, guardiam, vel similia, modo non vsurpet bona, seu fructus Ecclesiasticos Archidiac. ibi sub num. 1. super verbo Guardiam, repræhendens aliquos intelligentes hunc text. de Ecclesijs tantùm patronatis, dicens textum ipsum esse intelligendum simpliciter, sicut sonat, quod etiã admittit glosa, dum loquitur nedũ de iurepatronatu, sed de custodia, & guardia, vel de alijs similibus, Speculator. lib. 4. tit. de sede vacante nu. 6. & 7. adducens aliquos Principes sede vacante habere guardiam, seu custodiam, ac administrationem bonorum Episcopatuum, & agere, & conuenire nomine Episcopatus, Thes. decis. 131. per totam, & præcipuè num. 11., qui dicit ita seruari etiam quo ad Cardinales, & talem consuetudinem esse vtilissimam Ecclesiæ pro interesse successorum, & proinde seruandam, prout seruatur in illo Dominio Pedemontano, quòd comprobat multis exemplis, & seruatur etiam in alijs Prouincijs, de quibus nu. 12. Io. de Selu. in suo tract. de benefic. par. 2. quæst. 23. num. 37. in fine; Quæ inquam consuetudo valet etiam quo ad priuatos, vt notat Ancar. dict. cap. generali sub num. 6. vers. guardiam, & Io. Andr. ibi colum. 2. sub verbo vendicant, & Geminian. col. 2. vers. qui autem, dum referunt ita seruari Parmæ, & Florentiæ per Vicedominos, & Tossincos.

Pro huius capitis su stentatione erit per ne cessarium habere docu menta in forma pro bante, ex quibus appa reat Oeconomos ned sede vacante, adepto fuisse tenutam bonor illorum beneficiorun collatorum à Sanctissi mo, verum ab ordina rijs distributorum &c

Ratio autem validitatis huiusmodi consuetudinis ea est, quia cum talis custodia respiciat tantum fructuum conseruationem, nimirum si Oeconomus repræsentans etiam Principem sæcularem, sit capax talis custodiæ, cum fru-

ctus dicantur res sæculares, & nihil habeant spiritualitatis, vt per Thes. alleg. decis. 131. num. 6. alios congerentem, qui inquam sub num. 12. arguit à fortiori, dum dicit, quod si valet consuetudo, quod non detur posssio beneficiorum absq; Placet, quod etiam Illustriss. Domini admittũt, multo magis valebit circa nudam custodiam, in qua tractatur de euidenti Ecclesiæ vtilitate; Quare vbi non adfuisset hæc laudabilis consuetudo, erat omninò pro vtilitate Ecclesiæ, & beneficiatorum introducenda; Nam si hoc committeretur Ordinarijs pro beneficijs per eos collatis, vtiq; esset in graue damnum beneficiatorum non valentium in casu fraudis commissæ erga suos superiores, vel ab eis dependentes quicquam opponere, præcipuè cum ab eis beneficia sibi collata fuissent, & vtinam (adueniente casu) pactum non præcessisset collationi. Quapropter nihil erit circa hoc innouandum, præcipuè cum huiusmodi consuetudo non possit inter abusus connumerari, cum pro ea ius assistat, & sic laudabilis, vtilis, & necessaria, iuxta ea, quæ decidit glosa in cap. final. in verbo rationabilis, de electione.

Quo autem ad debitum præmium Oeconomo pro laboribus concedendum, erimus concordes, habita consideratione, quod dignus est operarius mercede sua, & quod Oeconomi, seu custodes bonorum Ecclesiasticorum tempore vacationum debeant ratione laboris habere moderatas expensas, notat glosa in dicto cap. generali, verbo redditus, circa finem, & Archidiac. ibi in fine; Et contenti esse debent Ecclesiastici erogantes debitam mercedem, quia antiquitus Oeconomi in statu illo decimam pro se retinebant. Quo circa his temporibus laudanda est moderatio horum Oeconomorum, qui de minimo honorario contẽti sunt, immò multoties labores, & expensas gratis aliquibus benemeritis profitentur præstare.

Pariter ad huius capitis sustentationem erit necessarium habere, nedùm documenta hic enunciata, quæ penes me non adsunt, verum quot quot haberi possunt, ad effectum, vt appareat de allegata consuetudine &c.

Ad secundum caput pariter respondetur, seruandam esse consuetudinem de qua apparet ex diuersis instrumentis, & præcipuè ex instrumento apprehensionis factæ per Reu.

Pata-

Patanellam Oeconomum nomine Cameræ vacante Ecclesia Mediolanensi per obitum Reuerendiss. Io. Angeli Arcimboldi rogato die 19. Aprilis 1565. ex alio instrumento appræhensionis de Ecclesia Laudensi vacante per obitum Ioannis Simonetæ die 18. Decembris 1556. & ex alio instrumento pro Abbatia S. Vincentij in Prato vacante per obitum Reuer. Biraghi die 25. Iulij 1557. & ex alio instrumento Abbatiæ S. Dionysij vacantis per obitum Illustriss. Cardinalis Ioannis Saluiati. Qua inquam consuetudine stante, & stante etiam quod in Statu Mediolani habemus Oeconomum, cessat omninò ius, quod poterat alias competere Capitulo, tàm de iure communi, quã etiam ex dispositione Sacri Concilij Tridentini, quia semper de iure præfertur Oeconomus, cap. quoniam distinct. 75. & ibi glosa in verbo Oeconomum, Melior text. in cap. illud, 12. quæst. 2 in verbo Oeconomi Imol. in cap. cum vos nu. 8. vers. Ecclesia vero Cathedralis de officio ordinarij. Abbas, cap. bonæ memoriæ num. 11. de appellation. qui dicit custodiam hoc ordine dari; Primo Oeconomo, si adest, Secundo Canonicis, si reperiuntur idonei; Tertiò Clericis, dum pariter sint idonei; Postremò Archiepiscopo; Pro cuius resolutione allegat textuum decisiones apud eum omninò videndas, quibus non contrariatur decisio Sacri Concilij Trident. sub sessione 24 cap 16. qua cauetur, mortuo Prælato electionem Oeconomi ad Canonicos spectare, nam hoc procedit in Ecclesijs, & Diœcesibus, in quibus non adest Oeconomus, vt optimè comprobatur ex dispositione dicti capituli disponentis, tùm electionem Oeconomi ad Canonicos pertinere, quando fructuum percipiendorum munus Canonicis incumberet, prout in illis verbis, in princip. capituli ibi, vbi fructuum &c. Quare, cùm in Prouincia illa adsit Oeconomus creatus nedùm à S. M. sed etiam à Sanctissimo, illi huiuscemodi munus percipiendi fructus ex natura eius officij spectat; Nam Oeconomus, vt supra dictum fuit, ille dicitur, cui res Ecclesiæ gubernanda demandatur, vtiq; dicendum erit

Sacri

Sacri Concilij dispositionem, stante Oeconomo iã electo, nõ habere locũ. Nã futura electio esset superuacanea, & de persona nõ approbata à Sanctissimo, prout est Oeconomus noster, & hoc maximè cum ea fieri debeat interpratatio, qua quantum minus fieri possit, ius cõmune lædatur, quod præcipuè debet habere locum in casu isto, cum auctoritas Oeconomi, quo ad fructuum custodiam, & gubernationẽ magis, atq; magis debeat se extendi circa cathedrales Ecclesias, quia in his Principes dicuntur Patroni, & habent maius ius, & particularem prærogatiuam custodiæ, ac defensionis, vt per Thes. dicta decis. 131. num. 12. vers. & maxime, & Marc. decis. 66. num. 12. Bald. in proemio decretorum. Verbo. Rex pacificus num. 12. vers. Reges, & in cap. quanto in fine de iudic.

Ad tertium respondetur necessariam esse qualẽ qualẽ cognitionem respicientem non validitatem, vel inualiditatem electionis, sed tituli; Et omninò assensus, quem Placet vocant, erit retardandus, vbi persona electa sit S.M. suspecta, cum hæc sit principalis causa, & peculiaris finis officij Oeconomatus.

Ad huius etiam capitis corroborationem, est etiam necessarium habere attestationes autenticas ex quibus cõprobetur solitos esse Oeconomos, eorũ auctoritatem in similibus negotijs interponere &c.

Ad quartum respondetur contrarium suadere inueteratam illius status consuetudinem, quæ etiam seruatur in alijs Regnis, & Prouincijs, veluti in Hispanijs, Gallia, Belgica, & alibi, teste Couaru. practic. qq. cap 31. nu. 3. vers. sed ex multis, & sub nu. 5. & 6. quod maximè procedere debet in illo Statu Mediolani, maximè stante dispositione indultus Leonini hoc beneficium tribuentis.

Admittitur tamen, quod cognitio non sit adhibenda per modum Iurisdictionis super Ecclesiasticis, sed vt videatur, num mandata ab Vrbe obtenta contineant aliquid contra bonum publicum per importunitatem, obreptionem, vel subreptionem obtentum, quibus in casibus est supersedendum, donec monitus Sanctissimus de veritate, & iustitia indemnitati Prouinciæ, & oppressorum prouideat.

Ad quintum respondetur, esse pernecessarium, vt opera sui Cancellarij, seu Notarij, Oeconomus vtatur, in adipiscen-

dis

dis beneficiorum possessionibus, vt possit apparere de huiusmodi actibus; Quandoquidem, per quam difficile, & quasi impossibile erit habere in casu necessitatis opportunam horum actuum notitiam, si esset in arbitrium beneficiatorum eligere Notarium ad eorum nutum; si autem dubitatur hoc medio posse grauari beneficiatos grauioribus impensis, potest construi certa, & determinata merces Notarijs, seu Cancellarijs.

Ad sextum respondetur, esse pariter quàm necessarium, quod beneficiatus adeat Viceoeconomum, non vt denuò obtineat nouum placitum, vbi alias sit sibi concessum ab Oeconomo Generali, sed vt Viceoeconomus ipse certus reddatur placitum obtinuisse, & vt Notarius Viceoeconomi assistat, & rogatus sit de possessionibus adipiscendis, rationibus de quibus supra. Aliàs enim, vbi beneficiati non tenerentur se præsentare corã Viceoecono mo, & docere de placito obtento, multi poterant ingredi possessionem sine placito.

Si autem dubitatur, quòd beneficiati grauentur superfluis, & duplicatis expensis, potest circa hoc quid iustum sit, præscribi.

Ad septimum, se remittit Fiscalis ad ea, quæ per Illustriss. DD. & Senatum Excellentiss. fuerit conclusum, habita ratione, quòd omnis labor optat præmium, & quod nemo proprijs stipendijs militare tenetur.

Ad octauum respondetur, Contrarium fuisse indistinctè practicatum, Nam vacãte officio Oeconomatus, morte Oeconomi, vel ex alia causa, statim Excellentiss. Gubernatores solent Oeconomos nominare per modum prouisionis, donec per S. M. maturius habita notitia confirmatur nominatus, vel alter ad eius libitum eligitur, vt constat ex quampluribus diplomatibus, præcipuè ex illis Ioannis Castani Oeconomi creati ab Antonio de Leyua, & Ioannis Duarti, editis à Duce Alburquerquensi, Iulij a Turre, à Comite Fuentes, Vincentij Ferrarij, à Duce Feriæ, Fabij Molæ ab eodem Duce, ac ex multis alijs.

Ad

Ad nonum respondetur, nullo pacto esse de hoc tractandum, cum Oeconomus Regius immediatè dependeat à Sua M. nullum alium Superiorem recognoscente in his, quæ concernunt interesse Regij Oeconomatus, & absit, vt in hoc consentiatur.

Tandem animaduertit Fiscalis, quod ea, quæ proponuntur non tendunt ad tollendos abusus, sed ad introducendas nouas leges, contra dispositionem iuris, & laudabilem cõsuetudinem officij Oeconomatus, & tendentes ad totalem destructionem ipsius officij. Quapropter nullo pacto nedum non sunt amplectanda, sed neq; etiam in medium deducenda, cum de officio ipso Oeconomatus, eiusq; existentia, & laudabili exercitio non, sit disputandum, cum pro eo assistat allegatum capitulum concordiæ, quo mediante officium ipsum per Curriculum tot annorum introductum, remansit omninò corroboratum &c.

Addicio pro ipso Fisco Regio ad responsum iam datum.

OPtimè suas partes impleuit Egreg. Collega Arguis,& iura S. Maest. validis muniuit rationibus, ita vt nihil necessariò addendum sit. Circa primum caput posset illa etiam ratio explicari, quod concesso placito Oeconomo Regio circa beneficia collationis ordinarij non debet denegari fructuum conseruatio penes ipsum, vt aliorum etiam beneficiorum, ne si illi sint penes alium,tradantur per eum prouiso, qui possessionem sine placito acceperit fortasse S. M. suspecto: nam administratione penes Oeconomum Regium, vt moris est, existente possessio inscio Oeconomo non capietur, & traditis fructibus suspecto non debet necessitas imponi Oeconomo illos recuperandi iudicio, vel defraudari legitimus, & confidens successor in beneficio, maxime, cum experientia doceat summa cum difficultate vix, ac ne vix quidem retractari possessiones illegitime captas ab intrusis sine placito. Concurrit etiam quies publicæ quietis ratio, quæ conseruatur, Oeconomo administrante, cum facile scandala sequi possent, & priuatim inter partes, & publicè inter iurisdictiones, Oeconomo forte per ordinarium instituto dante fructus prouisis ab eo, etiam si Principi eiusq; Oeconomo suspectis, Principe è contra eiusq; Oeconomo ius suum tuente, quam rationem scandalorum etiam in his beneficijs vitandorum considerauit Senatus in sua relatione ad Excellentiss. Gubernatorem anni quæ est in nouissimis relationis ad S. M. actis sub num. addiq; potest, frustra, & nonnisi cum periculo multiplicari Oeconomos, cum Regius, Pontificiusq; sufficiant, quos Summi Pōtifices pro publico bono, & iurisdictionū concordiam posse in eandē personā cōferri censuerunt. Nec nouū est, vt considerat D. Arguis, eundem duas personas, & duo

officia

officia distincta circa idem exercere, ad quod bona doctrina Rebuff. in commentar. ad concordata Galliæ tit. de collationib. §. si quis verò glo. dispositiones, versic. secus est quando pag. mihi 350. diuersis beneficium posse per Episcopum conferri vni auctoritate ordinaria, & voluntariè non nominato à Rege, deinde alteri nominato à Rege, & coactè pro executione concordatorum.

Præmium Oeconomi toto tempore huius muneris fuit decima vacantium, vt acta officij eius semper meminerunt, & licet origo non reperiatur, tamen in quibusdam litteris Decani Alexandriæ 24. Nouembris 1571. ad R. Ambrosium Ferrarium L. T. Oeconomi Generalis dicitur Oeconomum habuisse à S. M. ordinem exigendi decimam pro suo honorario. Nec nouum hoc est circa beneficia, cum etiam curatores spoliorum Ecclesiasticorum non paucis in locis quotam hanc habeant: alioquin per S M. prouidendum erit Oeconomo, vt cum dignitate possit munus sustinere, tamen circa hoc cum Egr. Collega non putat Fiscus pertinaciter insistendum, sed amicabiliter disceptandum.

Respectu secundi, constanter insistendum est, maxime etiam attenta consuetudine, ad quam probandam dantur nonnulla documenta, & alia indagantur. Nec videtur obstare Sacrum Tridentinum Concilium sess. 24. cap. 16. capitul. nam patet casum nostrum non ferire eius dispositionem ob clausulam illam; vbi fructuum percipiendorum eis munus incumbit præseruantem consuetudines, & iura alijs tribuentia munus percipiendorum fructuum alijs, quàm Capitulis, siue illa dictio, vbi, designet loca, siue importet conditionem, ne inutiliter illa clausula stet, & patet Sacrũ Concilium non tollere in illo capite consuetudines ex decisione Sacræ Congregationis, quæ decidit Concilium iubentem eligi Vicarium non tollere consuetudinem, vbi viget eligendi duos, vel plures Vicarios, quod dictum sit non per modum interprætandi Sacrum Concilium, sed dicendi, quod facit ad causæ iustitiam, maximè cum in Archi-

uio

uio Oeconomatus adſint litteræ Vicariorum Generaliu m electorum per capitula petentium ſalaria ſui muneris ab Oeconomo.

Reſpectu tertij, poteſt reſtringi ad cognitionem noſtram pro conceſſione, vel denegatione Placiti, vel dilatione; nam ſi plures prouiſi concurrant imprudenter agat Oeconomus, ſi omnibus iniuſtè, ſi illegitimè prouiſo, temere, ſi inauditis partibus alicui concedat Placitum. Videtur igitur obiectum reſtringendum, vt definitiue ſuper prouiſione, & titulo non cognoſcat, poſſit tamen cognoſcere ad ſui informationem.

Reſpectu quarti, omninò videtur perſiſtendum in cōſuetudine bene probata non ſolum per actus poſitiuos conceſſionum Placitorum, ſed etiam per proceſſus iudiciales contrà eos, qui non impetrato Placito aliquid intimari curarunt, & hoc, ne quid præiudiciale ſtatui Principis, & quieti publicæ fiat.

Reſpectu quinti, & ſexti patet hæc excitari, vt poſſeſſionum actus poſſint occultari, & aduerſus clandeſtinitatē nullum certius remedium, quam vt in Ducatu Cancellarius Oeconomi in Ciuitatibus Suboeconomorum Notarij poſſeſſiones tradant, & de illis rogati ſint, & pateat authentica ſingulo menſe inſtrumentorum hac occaſione conficiendorum ad Oeconomum Generalem tranſmittant in officio aſſeruanda.

Reſpectu ſeptimi quo ad Placitorum honorarium poterit per viam concordiæ ad id reduci.

Reſpectu octaui in conſueto omninò perſiſtendum eſt: nam hoc pacto retinetur aliquo modo antiqua officij diuiſio, nec decet in propoſita deſcendere: nam in Eccleſiaſtici arbitrio erit Oeconomatum Regium tollere tacitè ſuum nemini conferendo, & procraſtinatione Eccleſiaſticorum iura Regia peribunt. Quin hoc eſſet agnoſcere creatum à Rege non habere facultatem, quæ ſufficiat exercendi Oeconomatus Regij.

Reſpectu

Respectu vltimi persistendum in negatiua, quin pro S. M. interesse mandandum erit Oeconomis, & Suboeconomis, ne vtantur Notarijs Clericis, sed laicis, non Cancellarijs Curiarum Ecclesiasticarum, vt nulla difficultas sit in edendis necessarijs documentis hoc tamen non erit nunc proponendum.

Montius A. F.